



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Epistola XVI. Ad P. Franciscvm Martinez.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

bus etiam ipse totam vitam addixit:
ac post magna tolerantia, virtutisque
exempla edita, in Burgensi Collegio
felicem mortem oppetijt, cujus stu-
dij per multos annos fuerat Præfe-
ctus.

EPISTOLA XVI.

AD P. FRANCISCVM
MARTINEZ.

QUID ANXIIS AC PERVER-
SIS COGITATIONIBVS
afflicto consulendum
sit.

Pax Christi.

DEVS omnium bonorum fons
æternis bonis Reverentiæ Ve-
stræ charitatem compenset, quâ
librum in Galliam misit; ego etiam
id, quod literis suis significavit,
quamprimum hominem, qui fe-
rat, idoneum nactus fuero, diligen-
tissimè transmittam.

Afflictam illam animam, de

HH qua

qua scribit Reverentia Vestra Christo Domino nostro in quotidiano Missæ Sacrificio, quàm possum maximè, commendare studeo: hic enim est locus, ubi eò majore cum fiducia petimus, quò faciliùs ea impetrari speramus, quæ Christus Dominus noster in hac sui oblatione pro nobis exorat. Quod verò ad curam ejus morbi attinet, ægram illam, quantum ex Reverentiæ Vestræ narratione cognovi, ex eo infirmorum genere esse existimo, qui, dum avidius morbi curationem urgent, desiderio suo tardiùs se per sanari sentiunt: nam superfluis curis & anxietatibus mali vim non tollunt, sed potiùs augent, ut tanto difficilior deinde sit eorum curatio. Quare si placere Deo desiderat, uti eam desiderare existimo, ac divinam ejus voluntatem fideliter exequi, certissimò secum statuat,

sup

ii

hanc

hanc DEI voluntatem esse, ut & crucem hanc fortiter amplectatur, & divino ejus beneplacito ad extremum vitæ halitum constanter se conformet. Deinde certò confidat, se non minùs hac ratione pugnando divinæ Majestati placere, quàm apud eandem promereri: neque commissarum olim noxarum, aut superbix pœnam esse arbitretur hæc certamina, sed certa contra superbiam ac noxas remedia, in quas forsan incidet, si ea, quam optat, pace frueretur. Sic animata in benigni Numinis manus, ac paternæ providentiæ sinum se confidenter projiciat, ità secum ratiocinando; vel expedit me habere pacem, vel non expedit; si non expedit, eam cur petam? Si expedit, eam procul dubio optimus DEVS largietur, qui & benefacere amat, & beneficijs nunquam destituit eos,

HH 2 qui

qui Paternæ ejus providentiæ se commiserunt. Tum inter ceteras preces, has crebrò interdiu repetat: *Domine mi, fiat in me, per me, de me, & de omnibus rebus meis, tua sanctissima, & dulcissima voluntas, ab hac hora semper, & per totam aternitatem. Amen.*

Quòd si senserit vehementiorem cogitationum insultum, quibus eam Reverentia Vestra novit vexari, non passis, ut ajunt, brachijs eas arripiat, sed ab se rejiciat, repetendo prædictam orationem ac resignationem: vel, si fortè longior videatur, illam ex Oratione Dominica accipiat: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra:* præterea crebrò recordetur sanctæ Catharinæ Senensis, quæ, cùm in simili cogitationum confictu se relictam esse à Domino cogitaret, falli se vehementer

depre-

deprehendit, dicente ipsi Domino:
Filia, tecum eram: alioqui tu in
illa consensisses, à quibus tanto-
pere abhorres. Atque in huius-
modi casibus plus generosa in
DEVM fiducia, quàm animi an-
xietas ac perturbatio meretur: nã
licet propriæ infirmitatis consci-
entia plurimùm deprimat, con-
cepta tamen de misericordiâ Nu-
minis confidentia magis erigere
dejectum animum solet. Deinde
illud diligenter cavendum ei, qui
hujus animæ curam gerit, ne illa
ciborum somniquè nimia subtra-
ctatione ac scrupulis, & quæ indè
multùm augetur, melancholiâ in-
firmum aliàs corpusculum magis
conficiat: quin expedierit aliquan-
do adigere ad assumendam aliquam
corporis relaxationem, quæ men-
tem tantisper à molestis cogita-
tionibus avocet. Juverit quoque,
si præter ordinem ad sacram Syn-

axin accedendi quandoque potestas fiat; indè enim, cùm anima se meliùs disponat, accessura videlicet ad præsens ejus mali, quo premitur, remedium, peculiare, miseræ suæ solamen sentit: deinde crescit fiducia erga illum, à quo dirigitur, utpote, qui sic miserè afflictam non aspernetur, sed potius incitare studeat. Profectò si crederet, DEO se placere in eo, quod patitur, nec doleret, nec eas, quibus premitur, anxietates sentiret. DEVS Dominus poster, illam adjuvare dignetur, & Reverentiam Vestram conservare incolumem. Et quoniam id in me libens suscipio, ut afflictam illam DEO commendem, gratum mihi fecerit Reverentia Vestra, si eidem dixerit, sufficiens mihi pretium repensum iri, si illa vicissim id mihi præstiterit. Vallisoleti 2. Junij Anno 1617.

EPISTO-